



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

§. 4. Mores Russorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13167

§. 3. *Qualitas.*

HÆC Regio aded hyeme frigida, vt sputa antequam cadant in terram congelentur: sex mensibus operta niue est, quo tempore tamen potius indigenæ malunt ambulare quàm æstate, tum ob ardorem Solis, tum ob culices importunos. Diuina Fluius ad instar Nili agros oblimat. Fert tellus canabim, linum, & mel, de cuius copiâ dicemus in Admirandis. Quàm preciosæ hinc quoque pelles efferantur quis ignorat? Equi hinc parui, sed generosissimi, omnes castrantur, vt sint obsequentiores. Falcones hinc omnium generosissimi, lupi penè omnes nigri, ideoque magis terribiles aspectu.

§. 4. *Mores.*

MONETAM cudunt non rotundam, sed oualem. Vestibus oblongioribus vtuntur, quas præcingunt infra aluum, vt hæc tota promineat. Nemo hic comam alit præter Sacerdotes, idque turpissimum ducunt, sicut & pullum colorem oderunt, quem iisdem Sacerdotibus reseruant. Flectunt sibi inuicem genua honoris causa, sed coram viris primariis terram osculantur. Vt nos per mille, & centum numeramus, sic illi per 40. & 90. Alphabetum habent 43. literarum. Nemo hic Principe doctior, qui aliquid scire cupit supra cæteros iam Principi suspectus est. Vnicam habet Typographiam Princeps: reliqui quæ seruata volunt calamis exarant. Nullus hic Medicus, nullus Pharmacopola, nisi Principis. Non computant ab anno Christi, sed mundi, more Græco; quem putant ortum Domini præcessisse 5508. Itaque annus hic 1647. est ipsis 7155. & mundum tantum 8000. duraturum arbitrantur. Primam diei horam numerant post vnâ à Solis exortu. Fæminarum miserima conditio, quæ magis vapulat charior iudicatur. Quartam tantum vxorem superinducere possunt, hac mortuâ nullam, & celibes viuunt. Diuortia permittunt Episcopi pallium lacerando in viâ publicâ, cum his verbis, *tu hac, ego illac.* Ducem suum omnium honorum suorum dominum putant. Cùm aliquem mittit ad bellum, aut ad legationem illico eò pergit, prandio etiam sæpè relicto. Sex diebus Dominis suis laborant, septimo sibi. Qui nomina non potest dissoluere verberibus excipitur, & seruus subiicitur.

creditori. Pater filium suum quater vendere potest. Nobilis fustibus malè multatus à Duce, aut Rusticus à nobili, gratias habent quòd dignati sint emendare seruos suos. Cùm quis moritur datur ei in manus carta, quâ Sacerdotes testantur eum bene vixisse, putantque schedam hanc oblatam S. Petro cælum referare. Plura de his *Possennus, Gagwinus, & alij.*

§. 5. Religio.

MOSCHI susceperunt fidem anno Christi 942. sub Olha Ducissa, & Volodomiro eius filio. Iactant tamen S. Andream apud se disseminasse fidem. Præcipuo cultu venerantur imagines: qui aliquem inuisit, prius eas domi prostantes salutat, quàm patrem familias. Dum se muniunt signo Crucis, à dextra ad sinistram manum mouent. Omnes Sacerdotes vxorem ducere debent, nec nisi vxoratus admittitur ad Diaconatum. Sed vxore mortua celibes viuunt, si quis nouam acceperit, non putatur Sacerdos, potest tamen officio Diaconi defungi. Dies festus apud Moschos, maximus est Dominica in Palmis, quo die Dux Patriarcham ducit insidentem asino, cui 40. pueri nobiles vestes purpureas sternunt. Quadruplex apud eos ieiunium, primum ante Pascha 7. hebdomadarum, 2. ante Pentecosten, 3. ante festum SS. Petri, & Pauli, quartum sex hebdomadis ante Christi aduentum, de quibus plura in recente Græciâ. Hic Patriarcha, tres Archiepiscopi, singuli Episcopi penè in singulis Ducatibus, & Prouinciis. Nemo hic concionatur, sed vitæ SS. leguntur. Multi hic Religiosi, multæ Moniales, sed magna vbique ignorantia; legatur *Possennus.*

§. 6. Politia.

VNVS hic Princeps *Knez*, seu *Czar* dictus, Dux aut Cæsar, additur voci *Knez*, *Veliki*, hoc est magnus: vtrum autem vox *Czar* Imperatorem sonat, aliqui dubitant. Ille se ab Augusto fabulatur oriundum, meliùs ex Dano Principe *Rurik*, seu Roderico, qui cum duobus fratribus eò euocatus ab indigenis venit; sed his demortuis, illic rerum potitus est. Ab eo nati Duces inter quos nominatissimus Ioannes Basilides portentum crudelitatis, de quo scripta historia. Hæreditarius Ducatus est, transitque ad filium,